


BIBLIOTEKA

Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII 1,367

8.512



Pzeliga

Leopoldta Gabriel Zawierko

E. 21, 182

4

IVSTVS IVDEX.

EX IDEA IVSTISSIMI

IVDICIS IESV CHRISTI ET IV-

dicibus Particularibus, ad immitandum
propositus.

Nunc Iudicium
est mundi, nunc
Princeps huius
mundi eijcietur
foras: & ego sic-
xaltatus fuero à
terra, omnia tra-
hã ad me ipsum.
Ioannis Capite
Duodecimo.



Pro Iustitia ago-
nizare pro anima
tua, & vsque ad
mortẽ certa pro
iustitia, & Deus
pro te vincet ini-
micos tuos.
Ecclesiastici Ca-
pite quarto.

Cum Licentia Superiorum,

Per Fratrem Gabrielem Leopoliensem. Ordinis
Prædicatorum, P. G.


LEOPOLI. Anno Domini, 1618.



ROGALA.



XVII-1367-III



Officio grandi, modo quo bene fungere Iudex,
Rite tuæ, exequat nobile stemma, domus
In Manibus vidit Messiaë, cornua vates,
Abacuc, belle quæ tibi magna notant
Cornua dura, manus signant ad magna gerenda
Fortes, quas Iudex debet habere bonus
Iustos dextra manus merito defendere debet,
At punire solet, Iure sinistra malos,
Hoc utrûq; facis CHAZYNSKI, ô Arbitræ æquus,
Iustitiæ lances, dum tua dextra librat.
Perge bonis auibus, meriti cumulare maniplos
Virtute & titulis, cresce sub astra tuis.

Abac: 3.





Officio grandi modo quo bene fingere labor
 Non tunc exequat nobile formam, domus
 in Martius vitiis, cornus vites,
 Appare, belle que tunc magis notant
 Cornu dunt, manus ferant ad magna gerenda
 Fortes, que labor debet habere bonus
 Ipsi debent manus merito descendere debet
 At omni soler, luce sinibus magis
 Hoc vitiis Castorem, & Aethiops quibus
 Iustitia ferret, dum tunc dextra labor
 Tunc bonis vitiis, nectini cumulare manipulos
 Virtute eximii, cycloclab aliter tuis.

Appar. 3.



GENEROSO DOMINO,

D. G A S P A R O
C H A Z Y N S K I,
I V D I C I C A S T R E N S I D I -
S T R I C T V S W L A D I M I R I E N S I S .
D O M I N O E T B E N E F A C T O R I S V O .



VAMVIS ONNIA VERBA
Diuina, ex ore verbi incarnati
prolata, omni admiratione, &
consideratione sunt dignissima,
vtpotè ex inscrutabili & incom-
prehensibili thesauro, sapien-
tiæ & scientiæ Dei emanãtia, Generose Dñe CHA-
ZYNski: illa tamen in maiorem admirationem, &
considerationem rapiunt animum meum, quæ sunt
ab eodem perfectissimo salutis nostræ magistro, in
parabola hominis diuitis, mnas seruis suis distri-
buentis, atque ab eisdem rationem exigentis di-
cta, & in Euangelio æterno, in hæc verba notata:
DICO VOBIS QVOD OMNI HABENTIDA-
bitur & abundabit, huic autem qui non habet, &

Matth: 25.
Lucæ 19.

Epistola Dedicatoria.

Matth: 5.

Matth: 25.

2. Reg: 12.

quod videtur habere auferretur ab eo. Quibus verbis quid quæso mirabilius? Scimus & meminimus omnes, quod vnigenitus altissimi Filius, tantum adamauit pauperatatem, quòd cum diues esset, pro nobis egenus factus est. Scimus, quod hic pauper qui non habuit, vbi caput suum reclinaret, sic amaui pauperes, quòd illis primam beatitudinem dedicauerit dicens: **BEATI PAUPERES**, quoniam vestrum est Regnum cælorum; sicque illos omnibus diuitibus commendatos fieri voluit, quod omne datum in cibo, potu, vestimento, receptione, visitatione, redemptione sibi ipsi vendicaturum sub iuramenti asseueratione protestatus sit, dicens: **AMEN DICO VOBIS, QVIC** quid vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis, & quic quid vni ex minimis istis non fecistis, mihi non fecistis. Quid ergo obsecro quid hoc est, quod huic pauperi, vnicam mnas habenti, & hanc iubet ab illo auferre, & dare illi diuiti, qui habes decem mnas Domini sui, etiam alias decem lucratus fuerat? Satis moleste & nimis indigne ferebat pijsimus Rex Dauid, cum audisset à Propheta, diuitem quendam multas oues habentem, tulisse vniam ouiculam homini pauperi, & illam occidisse in gratiam cuiusdam hospitis sui: vnde etiam sublata voce excla-

mauit:

Epistola Dedicatoria.

mauit: VIVIT DOMINVS, QVIA FILIVS
mortis est, qui fecit rem hanc, & ouem quadru-
plam restituet, eo quod fecerit verbum istud, &
non pepercerit. Cur ergo filius David secundum
carnem, qui est fons pietatis & misericordiæ, con-
trariam fert sententiã contra iustum pauperem ser-
uum, dicens: AVFERTE AB ILLO MNAM,
& date huic qui decem mnas habet. Ille ipse di-
xerat olim: VÆ VOBIS DIVITES, QVI HA-
betis consolationes vestras in hoc mundo, & ecce
nunc solus addit illis magnam mundanam consola-
tionem, dum dicit: DICO VOBIS, QVOD O-
mni habenti dabitur, & abundabit. Ille ipse non
ita pridem dixerat diuiti adolescenti, viam salutis
ab eo quærenti: VADE VENDE OMNIA, ET
da pauperibus, nunc autem præcipit seruis suis,
vt à paupere vnicam mnã auferrentes dent illam
diuiti, iam viginti mnas habenti. Valde equidem
est hoc mirabile, & diuitibus huius seculi nimis
plausibile, afflictis verò pauperibus supra modum
formidabile. Licet enim diuites huius seculi habe-
ant mnas plurimas, ex gratia Domini dominantium
sibi datas, adhuc tamen plus habere, & magis
abundare cupientes, qui rapiunt illa exigua bona
pauperibus, quæ vident illos habere. Illis autem

plangen-

Luca 6.

Matth: 19.

Marci 10.

Luca 16.

Epistola Dedicatoria.

plangentibus & lamentantibus, dicunt ad eos. Quid ploratis, aut quid tantas quærimonias contra nos exaggeratis, an non audistis quid dixerat ille Dominus, cuius benedictio diuites facit? **HABENTIDABITVR**, & abundabit, & huic qui nõ habet, & hoc quod videtur habere, auferretur ab eo. Cum ergo nos simus ditiores, necesse est, vt adhuc plus habeamus, & magis abüdemus ex hoc vestro exiguo, quod habere videremini. Sed õ sensum nimis ex sensum, atque ex toto, in sinistram partem peruersum, quem non solum horret illa lex Diuina, in tabulis lapideis exarata: **NON CON-**cupisces rem proximi tui, non seruum, non ancillã, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sũt: verum etiam ipsa lex naturæ, quæ intus in ipsis visceribus, inuisibili atramento, sensibilibus tamen characteribus expressa, clare admonet, vt ditiores sustentent tenuiores, vt adiuuent imbeciliores, vt presto sint omnibus egentibus, opem illorum implorantibus. Non sic igitur non sic, vt illi falsò suspicantur, hæc sententia Domini & Saluatoris, nostri debet intelligi, neque potest retorqueri a diuinam diuitiarum temporalium acquisitionẽ, quas nemo tollet secum sed debet referri acquisitionem diuitiarum spiritualium, in hunc modum. **H A.**

BENTI

Epistola Dedicatoria.

BENTI dabitur, id est habenti affectum bonum ad aliquam virtutem acquirendam, dabitur illi virtus desiderata: & qui habet zelum feruentem ad profectum virtutis, hic abundabit in meritis crescentibus, ex iteratis operationibus; prout patet in illo sancto adolescente in Ægyptum vendito, cui etiam in terra aliena habenti affectum bonum, datæ sunt plurimæ virtutes, quibus sic abundauit, quod factus sit abundantior omnibus alijs, non solum coæuis, sed etiam senio confectis. Talem affectum habuit, & ille alter adolescens rufus & pulcher aspectu, & ideo datæ sunt illi plurimæ virtutes, cum maxima abundantia meritorum. Talem affectum habuit vir desideriorum, & ideo misit illi Dominus per Angelum suum intelligentiam multorum misteriorum, & abundantiam cognitionis, arcanorum cælestium. Huic autem qui non habet & hoc quod videtur habere, auferretur ab eo, sic intelligendum venit: vt certo sciamus, eum qui nihil habet diligentia & laboris, in acquisitione & quotidiano exercitio virtutû, & hoc quod vel ex naturæ inclinatione, vel politica obseruatione videtur habere, auferretur ab eo: Prout accidit primo Regi Hæbreorum, qui licet habebat staturam supra alios ab humero & sursum eminentem, erat
tamen

Genesis 40.

Dan: 9.

1. Reg: 31.

Epistola Dedicatoria.

tamen puer vnus anni in conspectu Regis Regum :
vnde etiam non solum regnum terrenum , verume-
tiam & illud æternum ablatum est ab eo, & ille ipse
tanquam seruus inutilis , per malum dæmonium à
Domino immisum, in vita plurimum vexatus, post
modum per illius suggestionem ad vltimam despe-
rationem adductus, demum in tenebras exterio-
res proiectus est. Hoc idem accidit illi insolentis-
simo Regi Babilonis, qui appensus in statera inuen-
tus est minus habens, & ideo & hoc quod videba-
tur habere in regno temporali, & vsu vitæ præsen-
tis, atque in spe futuræ, ablatum est ab eo. Huius
etiam rei extat terribile exemplum in vita S. Bru-
nonis, de illo infelicissimo Doctore Parisiensi, qui
licet iuxta intuitum hominum videbatur aliquid
habere, tamē in conspectu Domini scrutantis cor-
da & renes, totum illud quod videbatur habere a-
blatum est ab eo ; prout ipse horrenda voce iam fu-
neri tradendus denuntiavit, se esse iusto Dei Iudi-
tio accusatum, & iudicatum, ac demum condem-
natum. Timeat itaque piger & accidiosus, quoni-
am egestatem operatur manus remissa, ita planè, vt
si in exercitio virtutis aliquis parum dormitauerit :
statim veniet ad eum quasi viator egestas, & accur-
ret paupertas quasi vir armatus. Sola manus forti-
um stre-

Dant 5.

In Vitis Pa-
trum.

Prout 18.

Prout 6.

Epistola Dedicatoria.

um strenue laborantium, tantas diuitias parat, vt habenti detur non solum ad sufficientiam, verum etiam ad abundantiam. Quod cum diligentius expenderem, & studiosius cogitarem, cui hunc IUSTVM IUDICEM dare deberem, necessarium duxi, quærere, hominem habentem & abundantem, ne fortè ab hac sentètia Domine aberrarem. Cumque illa mea diuturna notitia obiecisset mihi D. Tuam, visum est mihi, quod inueni Virum habentem Iuris scientiam, & abundantem in zelo Iustitiæ: quod etiam visum est illi excellentissimo Viro, inter omnes Senatores subselij secularium primario, Qui singulari Iudicio suo D. T. in consortium Iudicij sui Castrensis adsciuit, & Iudicem tam magni & inclyti districtus instituit. Hoc idem videtur, & alijs plurimis hominibus, nobilitate & industria præditis, qui D. T. sententijs & decretis contenti, talem se Iudicem inuenisse gratulantur. Quapropter vt D. Tua plus habeat, & magis abundet in Iure & Iustitia, accipiat prompta manu & hilari vultu, hanc Idæam Iusti Iudicis, ipsum Iustissimum Iudicem IESVM CHRISTVM, cui semper intentus, omni studio & opera contende, vt sicut statera crucis illius fuit inflexibilis, sic statera Iudicij tui fiat immobilis, nec vnquam nutet, vel in hanc, vel

in illam

Epistola Dedicatoria.

in illam partem, etiam quouis grauisissimo impulsu.
Et sic tandem erit, quod coram iustissimo Iudice
qui etiam iustitias iudicabit, inuenies gratiam in
praesenti, & gloriam in futuro, quod ego D. Tuæ
omnibus votis meis exposco. Datum Iauoro-
uia ipso die S. Francisci. Anno Dñi, 1618.

D. T. Supplex ad Deum

F. Gabriel Leopolda Ord:
Prædicatorum. P. G.

*Ad Libris Joannis Esusatorum Gymnasii
Decani forani Viciensis Curia et P. S. S. S. S.
Kosielkensis*



IVSTVS IVDEX.

Nunc Iudicium est mundi, nūc
 Princeps huius mūdi eijcietur
 foras, & ego si exaltatus fue-
 ro à terra, omnia traham
 ad me ipsum.

QVALES DEBEANT ESSE IVDICES,
 ET QVOMODO IVDICIA SVA EXER-
 CERE DEBEANT, EX HIS VER-
 BIS DEMONSTRATVR.

OMnem Christi actionem esse nostram instrū-
 ctionem, nemo est qui ignorare vel negare
 possit. Cū enim primus Adam de terra terrenus,
 multos errores in suis actionibus commisisset, &
 vniuersam progeniem suā præuaricatione sua cor-
 rupisset, ecce apparuit in terra nouus Adam, de
 coelo coelestis, qui verbis & exemplis suis, omnes
 pristinos errores, aboleuit, atque omnium & sin-
 gulorum vitam, ad suam viuendi rationē reforma-

Genesis 3.

Sapient: 7.

uit, vnde etiam non immerito, ille solus appellatus est Speculum sine macula. quia in illo solo omnium virtutum species resplendent, & omnes pie sancteque viuendi rationes, euidentissime patent. Quamuis enim plurimi inueniebantur inter Philosophos virtutum cultores, qui poterant dicere aliis hominibus. Nos sequimini, sectam nostram renete, nostram viuendi rationem imitami, & nostras virtutes, tanquam in speculo contemplami, nequaquam tamen specula ipsorum carebant maculis, sed obfusca fuerant magnis & horrendis turpitudinibus errorum, vitiorum, superstitionum, atque idolatriæ, quibus nihil sordidius & abominabilius potest inueniri. Fuerunt & alia specula multò pulchriora, inter gentem sanctam Iudæorū. Vt Moysis, Aaronis, Dauidis, Salomonis, Ezechia, nequaquam tamen poterant appellari, specula sine macula. Multis enim næuis fuerant respersa, atque euidentibus maculis ita inquinata, vt nullus alius possit dici, speculum sine macula, nisi solus Iesus Christus. Quia in illo solo omnium virtutum, & perfectionum Ideæ, sic relucet & corruscant, vt omnes & singuli, qui sunt, fuerūt, & futuri sunt, habeant sufficientissimum & absolutissimum exemplar omnium & singularū virtutum quæ vni-

cuique

Iustus Iudex.

3.

cuique sunt necessariae ad vitam praesentem, cum gratia Dei transigendam, & ad illam aeternam promouendam. In hoc enim speculo sine macula, possunt Idaeam suam inuenire, omnes ad statum Ecclesiasticum pertinentes, tam summi Pontifices, quam etiam alij Episcopi, & Sacerdotes. Christus namque est summus Pontifex, & Episcopus, animarum nostrarum, & Sacerdos secundum Ordinem Melchisedech, impollutus, immaculatus, a peccatoribus segregatus, & excelior caelis factus, qui cum sit Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, ille ipse factus est Idaea omnium Pontificum, & Episcoporum & Sacerdotum. In hoc speculo sine macula, possunt Idaeam suam videre omnes Eremitae, & omnes religiosi, si voluerint contemplari, Christum in locis desertis commorantem, & in orationibus pernoctantem, & cum immanissimo tentatore pugnans, atque illum fugantem, sique voluerint in Christo considerare, castitatem, obedientiam, & voluntariam paupertatem, & illam nimiam sollicitudinem, quam habebat circa salutem humanam.

Neque vero in hoc speculo sine macula, desunt pulcherrimae Idaeae, omnium & singulorum statuum, ad vitam Politicam pertinentium. Est

Iesus Christus est perfectissima idaea omnium ad statum ecclesiasticum pertinentium.

Iesus Christus est perfectissima idaea omnium ad statum

politicū per
tinentiam.

enim in hoc speculo sine macula, Idęa omnium Regum, & Principum & Dominorum. Quia Iesus Christus est Rex Regum, & Dominus Dominantium, & Princeps pacis.

Psalmo 18.

Lucę 11.

Esaie 53.
Psalmo 21.

Est in hoc speculo sine macula Idęa Senatorum. Quia IESVS CHRISTVS est magni consilij Angelus, contra quem non est scientia, non est Sapientia, in vniuerso mundo. Est in hoc speculo sine macula Idęa militum. Quia Iesus Christus est Gigas immensi roboris, à summo celo egrediens, & vsque ad debellandas tartareas potentates progrediens, qui atrię eius postibus æreis euulsis, & vectibus ferreis fractis, ipsum fortem armatum vicit, & spolia ipsius abstulit, & suis militibus distribuit. Neque verò deest in hoc speculo sine macula, Idęa seruorum & subditorum, vnigenitus enim altissimi Filius, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, insuper & inter hos factus est nouissimus virorum, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Non venit enim ministrari, sed ministrare, ita vt non detrectauerit discipulis suis, ex abiectissimo piscatorum genere congregatis, pedes lauare & extergere.

Inter

Iustus Iudex.

5.

Inter alias tamen Idæas omnium statuum, quas representat hoc speculum sine macula, multo alijs euidentiore est Idæa iudicum, dum Iudicij sui formam proponens ait. **NUNC IUDICIUM** est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsū.

In quibus verbis, omnes proprietates bonorum iudicum, mox iuuante gratia videbitis, si ad auctorem gratiarum deuote suspirare, & vestram diligentem considerationem, adhibere volueritis.

Quamuis omnes virtutes satis pulchrè compareant in hoc speculo sine macula, Iustitia tamen & Iudicum præ omnibus alijs pulcherrimè. Nec immerito. Cum enim Iustitia sit Regina virtutum tenens gladium quo refecat omnes excessus, qui possint succrescere in alijs virtutibus, & tenet altera manu libram, qua possit supplere omnes defectus illarum; ideo etiam debuit plus splendescere, & euidentiore apparere, in Rege Regum, & Domino Dominantium, qui constitutus est Iudex viuorum, & mortuorum.

Iam ergo accedite propius, vt videatis perspicacius, omnes alias virtutes à longe stantes, Iudicium vero & iustitiam, primum locum occupantes. Ecce à longe stat illa propria Regum,

Iustitia in speculo sine macula cui dērius patet præ omnibus alijs virtutibus.

A 3

& prin-

Liberalitas.
Ioannis 6.

& Principum virtus, Liberalitas, qua olim multa millia hominum, pavit aliquot panibus, & paucis piscibus, valde enim obumbrat eam illa solitudo, de qua dicunt discipuli ad Christum. Vnde quis poterit saturare istos panibus in solitudine?

Matth: 8.

Ecce à longe stat, & illa admirabilis gratia curationum, qua Principibus commendatur, cura subditorum. Quamvis enim hic perfectissimus medicus, turbis sequentibus reddebat cæcis visum, surdis auditum, leprosis munditiam, mortuis vitam, obsessis libertatem, verumtamen multum illam obnubilat, quod surdum & mutum educit de turba seorsum, quod leproso præcepit dicens. Vade nemini dixeris, quod intrat in domum principis, & eijcit tibicines, & turbam tumultuantem, antequam suscitet filiam eius mortuam.

Gratia curationum.

Deuotio.

Ecce à longe stat, & illa summa deuotio Sacerdotalis, qua cadens in terram in faciem suam, ter rogabat Patrem suum. Quis enim potest illam euidenter contueri, in hac obscura nocte, in tam denso horto, præsertim cum sit auulsus à discipulis suis, iaceatq; pronus in terra?

Oblatio.

Ecce à longe stat, & illa oblatio acceptissima, qua Deus placatus, & rotus mundus expiatus, est. Obnubilat enim illam vehementer maximus con-

temptus

temptus Sacerdotum, & Pontificum antiquæ legis, obnubilat illam spurcissimus mons Caluarie, obnubilat illam ignominiosissimum altare crucis, obnubilant illam tot, & tanta vulnera, ita plane, vt nihil aliud videre videamur, nisi quendam leprosum, non habentem speciem, neque decorem. A planta namque pedis, vsque ad verticem, non est in eo sanitas. Et vulnus & liuor, & tumens plaga, non est circumligata, neq; curata medicamine, neque fota oleo, vnde nec reputauimus eum.

Insuper autem & illa insignis victoria Christi, à morte resurgentis, vix à longe conspicitur. Quia obumbrata est persona hortulani, & specie peregrini. Sola autem iustitia, & potestas iudiciaria, sic est euidentis, vt instante termino iudiciorum, solus illam in publicum deducat, & omnibus palam demonstrat, dicens. NUNC IUDICIUM est mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.

Quod certe non ob aliam causam, voluit tam clare demonstrare, nisi vt omnes iudicum electores doceat, quales debent iudices eligere, vt que omnes iudices electos informet, quomodo se debeant in suis officijs gerere, suaq; particularia iudicia, ad hoc vniuersale iudicium mundi in cruce

factum

Victoria.

factum, conformare. Quemadmodum enim est extra omnem cōtrouersiam, omnē motum spherarum inferiorum, à primo mobili dependere; sic omni caret ambiguitate, omnes aetiones humanas vitæ æternæ meritorias, descendere à Iesu Christo Domino nostro, in quo uiuimus, mouemur, & sumus, & sine quo nihil possumus facere. Quapropter necessariū est, vt omnes iudicum electores, simul cum electis quibusuis iudiciis, Lynceis oculis aspiciant, in hunc vniuersalem Iudicem, viuorum & mortuorum, qui causam hominum oppressorum, cum principe mundi se iudicaturum dicit.

NUNC IUDICIUM est mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. In quibus singulis verbis, latent singula mylteria, & singulares doctrinæ. Ac imprimis hoc. Nunc ostendit, quod talis iudex debet eligi, qui sit liber ab omnibus occupationibus & alienorum negotiorum intricacionibus, & seruitiorum obligationibus, ita plane, vt instantibus singulis terminis iudiciorum suorum, semper adsit præsto & dicat. Nunc iudicium est meum, mihi à fratribus meis per voluntariam illorum electionem commissum, per Regis autoritatem confirmatum, & per supremam Dei volunta-

Iustus Iudex.

2.

tem concreditum, & à me per iuramentum acceptatum. Nunc ergo opus est, ut omnes occupationes domesticas proijciam, ut omnes excusationes præscindam, ut omnes tergiuersiones repellam, ut cuncta diffugia abnegem, & nunc compaream in loco meo, meque præsentem exhibeam his, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Quamuis enim in omnibus hominibus displiceat Deo illa vox tergiuersantium, & dicentium. Manda remanda, expecta reexpecta, modicum hic & modicum ibi, tamen cæteris omnibus, grauissimè peccat Iudex, qui negligit statuta tempora iudiciorum suorum, quia omittit hoc necessarium, **N V N C** à supremo Iudice primo loco positum, & prima animaduersione dignum, unde non solum in foro conscientiæ, multiplicis peccati efficitur reus, qui multis afflictis denegat iuris subsidia, sed etiam in iure Politico potest citari, & tenetur pænas exoluere. Nulla itaq; occupatio potest iudicem ab hoc **N V N C** excipere, præter solam causam, si est aliqua in ipsius iuramento, expressa: **IURAMENTA ENIM TANTVM VALENT, QVANTVM SONANT**, & ex singulis verbis iuramenti examen fiet à iustissimo Iudice, qui aure zeli audit omnia. Quapropter satis impudenter, vel potius dicam,

Non licet negligere statuta tempore iudiciorum.

B

impiè

impie quidam dicunt, iuramenta Iudicum & Senatorum esse, quandam Cereemoniam, non obligantem. Et vnde quæso hunc sensum excerpserunt, vel vnde hanc expositionem didicerunt?

Si est vana Cereemonia genu flectere, ante Sacratissimam imaginem Crucifixi, & dicere coram multis testibus. **IURO DEO OPT: MAX:** Ergo etiam vanum est præceptum Dei, quòd ille solus proprio digitto, in tabulis lapideis exarauit, scribens. **NON assumes nomen Domini Dei tui in vanum.** Sed absit hoc de Deo dicere, vel sentire. Ergo etiam absit Sacrosanctum Iuramentum, Cereemoniam appellare.

Sed dicet aliquis. Ecce careo pecunia, & destitutus sum equis & commitatu, quomodo ergo possum hoc **NUNC** implere: Huic ego respondeo. Quia satis magnam pecuniam habet, qui habet prudentiam. Quid enim prodest stulto habere pecuniam, cum sapientiam emere non possit? Satis bonos equos habet, qui habet propensam, & alacrem voluntatem seruiendi Fratribus, & conciuibus suis, satis fideles seruos habet, qui habet virtutes statui suo seruietes. De hac autem pecunia materiali, & de commitatu temporali, debuit fieri prima cogitatio, ante officij acceptationem, &

iuramen-

Iustus Iudex.

11.

iuramenti emissionem. Iam enim post hæc nihil aliud restat, nisi omnem diligentiam adhibere, ut non committatur periurium, cum damno Reipub: & cum iactura salutis æternæ. Calua itaq; est ista excusatio, quàm nullus adducit in medium, quando sunt captanda priuata commoda, vel timentur personalia incommoda. tunc enim & pecunia facillè acquiritur, & equi sine mora iunguntur, & cõmitatus plusquam necessarius colligitur.

Sed non solùm Iudices aliorum, hoc **NVNC** debent attendere, verum etiam omnes iudices particulares, qui volunt seipfos de suis factis iudicare, coram iustissimo Iudice, qui non iudicabit, in idipsum attestante Apostolo, qui ait: **SI NOS METIPROS IVDICAVERIMVS, NON IUDICABIMUR.** Quod satis liquido pater, in exemplo impiissimi Manassis Regis Iudæorum, qui postquam seipsum iudicauit, de suis grauissimis sceleribus, non est iudicatus à Deo, ad supplicium æternũ quod meruerat, sed etiam ex his temporalibus vinculis solutus, atque ex squalidissimo carcere, eductus est in libertatem, & Regiam dignitatem.

Iudicauit seipsum Publicanus, qui à longe stãs, nolebat oculos in cælum leuare, & satisfactionem de seipso exigens, percutiebat pectus suam dicens:

Manasses.

Publicanus.

Zachæus.

DEVS PROPITIUS ESTO MIHI PECCATORI, idcirco non est iudicatus ad pœnam, sed admissus est ad iustificationis inæstimabilem gratiam.

Iudicauit seipsum Zachæus, stans coram supremo Iudice, & dicens: ECCE DOMINE DIMIDIUM bonorum meorum do pauperibus, & si aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Et ecce seuerissimus Iudex, factus est illi benignissimus Saluator, dicens ad illum: Hodie huic domui salus facta est.

Hoc & nobis omnibus, & singulis potest obtingere, si voluerimus ante iudicium parare talem Iusticiam, qualem faciebat Rex & Propheta, qui non solum dolebat pro peccatis, non solum est confessus coram Propheta; Verum etiam induebatur cilicio, & genua illius infirmata sunt à ieiunio, & caro ipsius immutata est propter oleum, & ideo confidenter dicebat ad Dominum. FECI IUDICIUM & IUSTICIAM, non tradas me calumniantibus me. Hoc autem Iudicium cum iusticia coniunctum, NVNC facere debemus, in hoc præsentis tempore, de quo non est nisi NVNC. Iam enim præteritum elapsum est, nec potest à quouis reuocari. Futurum quoque nondum venit, nec quisquam habet Priuilegium, quod illud possit obtinere, quin
etiam

Iustus Iudex.

13.

etiam hoc momentum quod habemus, potest amara mors nobiscum diuidere, atque iuxta antiquam diuisorum artem, potest sibi vendicare maiorem partem. Sunt enim multi, & fuerunt, & futuri sunt, qui in primo mensæ accubitu, cum prima officia, simul prandium & vitam finierunt. Sunt multi & fuerunt, & futuri sunt, qui ebrietates suas, simul cum anima euouerunt. Sunt multi & fuerunt, & futuri sunt, quibus mors somnum temporalem, in somnum lethalem, commutauit. Sunt multi & fuerunt, & futuri sunt, qui in procinctu viæ substituerunt, quidam in medio perierunt, quidam pro termino sibi proposito, à quo cito cum lucro reuerti debebant, luctuosissimum terminum vitæ inuenerunt.

Quapropter stultissimi sunt illi homines, qui hoc momentaneum NVNC, vno velocissimo anhelitu proferendum, plenis buccis, & tardissima voce promunt. Ineptissimi sunt scriptores, qui hoc breuissimum NVNC, in minimo infantili vngue, minusculis scribendum, in spatiosissima membrana depingunt, & quam maximis literis exarare contendunt? O quam magnis literis hoc breuissimū NVNC, cæperat pingere Alexander Magnus, qui non contentus totius mundi Imperio, cum fletu



Alexander
Magnus.

B 3

affecta-

Absalon.

Antiochus.

affectabat etiam plures mundos possidere, quos il-
 li quidam insipientissimus Philosophus voluit per-
 suadere, sed ecce vix depinxit duas literas N. V. sta-
 tim eripuit illi mors calamum, & labefactavit manū
 ipsius, & illum ipsum in momento, intrusit in monu-
 mentū, dicēs illi. Iam satis est, quod hucusq; vixisti.
 quoddam tam multos afflixisti, & peremisti. Nunc iam
 cessa ab hac tua superba mente. Nunc iam cede
 alijs. Nunc iam descende in foueam. O quam ma-
 gnis characteribus, cæperat scribere hoc breuissi-
 mum NVNC, ambitiosissimus Absalon, qui col-
 lecto exercitu, fecit validissimam conspirationem,
 contra pijsimum Parentem suum. Cumque iam
 accepisset maximam membranam, in qua sibi vo-
 luit Priuilegium Regale, in hunc sensum scribere.
 NVNC REGNABO, NVNC DELICIIIS FRV-
 ar, nunc diuitijs Regalibus affluam, non potuit
 hoc perficere, sed ramo querci suspensus, cæpit
 palpitare, & à tribus hastis in corde infixis, co-
 actus est miserimè interire. O quam magnis chara-
 cteribus hoc minimum NVNC, voluit scribere
 superbissimus Antiochus, sed quamprimum admo-
 uit manum ad scribendum, statim illam retrahere
 coactus est, propter nimium dolorem viscerum, &
 propter nimiam molestiam vermium, à quibus a-

ntiochissime

Iustus Iudex.

15.

trocissime corrodebatur, & ad fatidilissimum interitum trahebatur. O quam magnis characteribus hoc minutissimum NVNC, voluit scribere ille opulentissimus Diues, qui dicebat: Anima mea epulare, habes enim plurima bona in annos multos reposita. Sed & huius scripturam interrupit vox caelestis dicens: Stulte, hac nocte reppetent a te animam tuam, haec autem quae praeparasti, cuius erunt? Hoc idem accidit infelicissimo Arrio, qui dum incepisset scribere illa superbissima verba. NVNC INGREDIAR Ecclesiam Cathedralem, Nunc opprimam Patriarcham, Nunc stabiliam errores meos, Nunc habebō sectatores quam plurimos, Nunc celebrabo nomen meum per vniuersam terram, & ecce statim mors inexorabilis accessit, & viscera illius conturbauit, & stimulando eum, monuit, dicens: Nunc desine ab ira, & derelinque furorem, noli aemulari, vt maligneris. Nunc descende in hanc spurcissimam cellam stercorariam, & exonera inflatissimum venter tuum. Nunc eijce sordidissima intestina tua, cum hac pestilentissima anima tua. Quod statim, & in ipso velocissimo nunc impletum est.

Diues.

Arrius.

Nolite ergo & vos, hoc induisibile punctum in minutissima arena punctandum, in maxima tabula depingere, seipso fallentes his vmbriis non ne-

cessarijs,

Sap: 5.

cessarijs, quæ res præsentés monstrant, quasi longè
 distantes, & perniciosimè fugientes ostédunt, quasi
 immobiliter stantes. O quam multos hæ vmbra de-
 ceperút, & in vmbra inferni detruserunt. Multi enī
 tenētes Tympanū, & Cytharam in puncto, in infer-
 num descenderunt, in quo sine intermissione, rep-
 petunt illam miserandam lamentationem suam.
QVID NOBIS PROFVIT SVPERBIA, AVT
 diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Tran-
 sierunt ista omnia tanquam vmbra, & tanquam
 nuncius præcurrens, & tanquam naus, quæ per-
 transit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit,
 non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ
 eius influxibus, aut tanquam auis, quæ præteruo-
 lat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum iti-
 neris illius, sed tantum sonitus alarum, verberans
 leuem ventum, & scindens per vim itineris aërem,
 commotis alis transuolauit, & post hoc nullum si-
 gnum inuenitur itineris illius, aut tanquam sagitta
 emissã in locum destinatum, diuisus aër, continuo
 in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius. Sic
 & nos nati continuo desijmus esse, & signum qui-
 dem virtutis, nullum valuimus ostendere, in mali-
 gnitate autem nostra, consumpti sumus. Talia di-
 xerunt in inferno, hi qui peccauerunt. Quia spes

impij tanquam lanugo, quæ à vento tollitur, aut puma gracilis, quæ à vento dispergitur, aut tanquam fumus, qui à vento diffusus est, aut tanquã memoria hospitis vnus diei prætereuntis. Quapropter

Quid tibi cum Fuit, aut Erit? Est valet vnum.

Plusquam mille Fuit. verum Est hoc vtitur alis

Abuolat & nostras moras detrudit in orcum.

Auditaq; consilium sapientis dicentis. **Q V O D**

P O T E S T M A N V S T V A I N S T A N T E R O

perare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia,

nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.

Properas autem velocissimè. Quia & manus tuæ

veloces ad effundendum sanguinem, & pedes tui

veloces, vt currant in malum, & totus quantus,

quantus es lætaris, cum malè feceris, & exultas in

tebus pèssimis, non timens Dominum fortem, &

terribilem, qui singulis horis & momentis exercet

iudicium suum, & potest nunc contra te proferre

irreuocabile decretum. Si enim conscendere pos-

ses in aliquem montè, ex quo possis videre, quod

in tota terra, & in toto mari nunc agatur, procul-

dubio videres in singulis ciuitatibus, & villis, &

domibus quosdam infirmantes, quosdam agoni-

zantes, quosdam morientes, videres mortem graf-

Ecclesi 9.

fantem, & cum summa violentia quosdam decol-
 lantem, quosdam strangulantem, quosdam igne
 comburentem, quosdam febribus & varijs mor-
 borum generibus perimentem, quosdam pericu-
 lis fluminum, periculis in mari, periculis itinerum,
 periculis latronum, periculis in falsis fratribus af-
 fligentem, & miserè trucidantem. Ergo ne tu effu-
 gies ista? Nunquid tu non es homo! vt putes a-
 liquid humani à te esse alienum? Nunquid tu me-
 lior es illis? O te insensatum, si existimas hæc
 ad te non peruentura, quibus ad omnes liberri-
 mus patet accessus. Nunc itaque teipsum sic e-
 menda & corrige, & ita singulis horis & momen-
 tis viue, vt ingruente vltimo termino possis lætus
 mortem aspicere, dicens:

Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum
 verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei, salutare tuum.

Quod parasti, ante faciem omnium populorum.

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam ple-
 bis tuæ Israël.

Quod si scire vultis, vos qui iudicatis alios,
 vel etiã seipsum, quare tam studiosè hoc NVNC
 obseruare debeatis. Scitote & mementote, quod
 ideo, quia iudicium quod tractatis, est iudicium

Iudicium
 mundi.

mundi

Iustus Iudex.

19.

mundi. Scitis enim quod quilibet homo à sapien-
tibus huius sæculi, est nuncupatus minor mun-
dus, neque etiam hoc ignoratis, quod quilibet
homo ab ipsa increata Sapientia vocatus est omnis
creatura, dum dixit Apollolis. Ite, prædicate E-
uangelium omni creaturæ. Vnde etiam & hoc ne-
cessario scire debetis, quod iudicium vestrum, est
iudicium mundi. Quia non solum omnis mundus
subiectus est homini, sed etiam omnes creaturæ
inueniuntur in homine. Est namque in homine cæ-
lum, de quo dicit ille ipse, cuius sedes cælum est,
Ad eum veniemus, & mansionem apud eum facie-
mus. Est in homine sol, quia in illo est ratio, quæ
illuminat densissimas ignorantia tenebras.

Est in homine luna, quia in illo est voluntas pa-
lida, aliquando crescens, aliquando decrescens.
Cogitationes enim hominum pauidæ, & incertæ
prouidentia nostræ. Sunt in homine stellæ, tam er-
raticæ, quam etiam fixæ. Habet enim homo vari-
os discursus, huc & illuc transcurrentes. Et habet
suas fixas demonstrationes, quæ illi adhærent in-
mòbiliter.

Sunt etiam in homine ventri, plenus est enim
varijs affectibus, hinc & inde flantibus.

Sunt in homine quatuor Elementa, ignis, aër,
C 2 aqua

Homo est
minor mun-
dus.

Luna vo-
luntas.

Stellæ.

Ventri.

+ Elemen-
ta

Arbors.

aqua, & terra. Ex his enim est compositus, & iisdem viuit, & sustentatur.

Sunt in homine arbores bonæ & malæ, de quibus ait ipse orator vniuersorum. Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Quia ex fructibus arbor cognoscitur.

Bestiæ & vniuersa pecora.

Sunt in homine Bestiæ, & vniuersa pecora, est Leo in iracundo, est Ursus in crudeli, est Lupus in rapace, est Sus in vorace, est Equus & Mulus in lasciuo, est Vulpis in astuto, est Canis in obrectatore, est Simia in adulatore. &c.

Volucres cæli.

Sunt in homine volucres cæli. Est Aquila in contemplatiuo, est Pelicanus in misericorde, est Columba in simplice, est Turtur gemens in pœnitente, est Strutio in crudeli, est Coruus in procrastinante, est Miluus in rapace, est Vultur in vorace, est Accipiter in audace, est Falco in procace, est Pica in loquace, sunt Noctuæ & Vespertiliones, in his, qui noctem vertunt in diem.

Mare.

Est in homine Mare. Cor enim impij quasi Mare feruens, quod non potest quiescere, Cor autem Viri piij, simile Crystalo, quod est in conspectu Dei.

Pisces maris.

Sunt in homine Pisces Maris, est in homine

Cætus

Iustus Iudex.

21.

Catus, qui magnitudine ventris sui, occupat quatuor iugera agri, dum inuenitur in aliquo tanta magnitudo auaritia, vt semper iungat domum ad domum, & agrum ad agrum. est Luceus in homine violento, qui persequitur inopem, & deuorat pauperem in abscondito. Est in homine delicato pinguis Carpio. Est tinca in avaro, & luto dedito. Est in homine varietas fructuū, vel carnis, vel spiritus.

Cū autem infernus sit in centro terræ, & hic etiam inuenitur in quibusdam, vt patet in iracundis, & assiduas rixas, & increpationes, & turbationes miscantibus.

Et per consequens, sunt in quibusdam Diaboli. Est Asmodæus in lasciuo, iuxta vocem Raphaelis Archangeli, ad Tobiam dicentis, quod in his potestatem habet Dæmonium, qui sicut Equus & Mulus inhiant suæ voluptati.

Est Astaroth in violento, qui fores alienas effringit, & explorat, atque dirripit res alienas. Astaroth enim interpretatur Fractura exploratorum.

Est Baal in avaro. Quia sicut ille est hiens vel deuorans. sic & omnis avarus.

Est Belial in dissoluto & licentioso, quia sicut ille, sic & iste est sine iugo.

Est Beelphegor Dominus vetustalis, in eo qui

Asmodæus.

Astaroth.

Baal.

Belial.

Beelphegor

non vult deponere veterem hominem cum a-
ctibus suis.

Belzeub.

Est Belzeub in homine vano. Quemad-
modum enim hic est Dominus Muscarum, sic iste
possessor vanitatum & mendaciorum.

Behemoth.

Est Behemoth in quolibet Sodomita, nam sicut
ille, sic & iste est Bestialis.

Chamos.

Est Chamos in tergiuersante, & à bono pro-
posito recedente. Nam & hic nihil aliud est nisi re-

Leuiathan.

cedens. Est Leuiathan magnus Draco in diuite i-
niquo, qui minores pisces capit & deglutit.

Moloch.

Est Moloch in astuto, qui retia expandit in ca-
pturam aliorum.

Sed quid necesse est singulatim enumerare Dæ-
monia, cum in quodam homine tēpore Iesu Chri-
sti, inuenta est legio, quæ iuxta computum milita-
rem continet. 6666. Cū igitur ex supradictis
liquidissimè constet Iudicium vnus hominis posse
appellari Iudicium mundi, & Iudicium omnis creā-
turæ, sequitur quòd cum tanta celeritate ac diligē-
tia exequendum est, vt quamuis vna tantum actio
vnus hominis penderet in Registro, non deberet
omitti Iudicium. Ecce enim & ipse supremus Iu-
dex, non grauatür descendere in Paradisum, vna
tantum pendente actione inter Præuaricatorem, &
Serpente.

Genes

Vna

Iustus Iudex.

23.

Vna tantum actio fuit, inter crudelissimum Caijm, & innocentem Abel, & tamen innocentie defensor, & crudelitatis Vindex iustissimus, solus hanc causam ventilauit, solus seruator fuit, solus ore proprio, contra fratricidam Decretum formauit, & promulgauit.

Hic etiam Mariam Sororem Moyfi, contra fratrem suum murmurantem solus iudicauit, & lepra puniuit.

Exodi

Hic idem solus ligna Sabbatho colligentem, mandauit extra castra educere, & vniuersę multitudini lapidibus obruere.

Num.

Hic idem solus iudicauit vnum Acham, qui de anathemate Hiericho tulerat, præcipiens eum cum omni possessione sua comburere. Sed & tu qui Iudex es tuiipsius, statim institue Iudicium, & fac Iustitiam etiam contra vnum minimum peccatum, quod commisisti. Qui enim minima negligit, paulatim defluit. An forte ignoras? quod etiam sæpè necat morsu, spatiosum Vipera taurum. An ignoras? quod à cane, non magno sæpè tenetur aper? Si ergo non toleras minimum lapillum in calceamento, terrentem pedem tuum, cur debes tollerare minimum peccatum, quod stimulat conscientiam tuam?

Iosue

Quod

Quod si Iudicium particulare, vel etiam personale, est Iudicium mundi, quid quãso putandum de Iudicijs Castrensibus, vel Terrestribus, vel Tribunalitijs, vel Comitialibus. Equidem Iudicia ista, Iudicia sunt mundi. Quia ad illa concurrunt multi homines & varij status, cum multis & varijs controuerlijs, & actionibus suis. Et ideo cum timore & tremore debent talia Iudicia tractari, & cum summa diligentia iustissimis decretis terminari.

In omnibus autem istis Iudicijs, nihil aliud attendere debent Iudices, nisi vt Princeps mundi eijciatur foras. Hęc est prima actio, quã in Registrum omnium controuerfiarum primũ inscribere debent. Omnes enim causę litigiõs, ab ipso originem ducunt. Quia ille est Pater discordiarum, & inuentor omnium turbationum. Quis sit autem Princeps mundi huius, si quis fortẽ ignorat, scire debet, quod nullus alius, nisi Diabolus, qui regnat super omnes filios superbię. Absit enim, vt Diabolum Principem mundi, ita dictum, existimemus, vt eum cęlo & terrę dominari credamus. Non enim est ipse author mundi aut gubernator; quemadmodum nonnulli falso existimant, sed mũdos hic pro pravis hominibus, qui secularia desideria sectantur, & suis indulgent cupiditatibus su-

mitur. Tantum enim horum Princeps Sathanas est, qui eis pro suo arbitratu principatur, præcipitesque in grauia scelera inducit per suos ministros, tam malos Angelos, quam etiam malos homines, qui nonnunquam peiores fiunt ipsis Dæmonibus, qui utiq; solent fugari signo sanctæ Crucis, & aqua lustrati, solentq; expelli exorcismis & coniurationibus, quibus homo peruersus, nequaquam potest abigi, prout patet in Iudæis, CHRISTVM ad mortem experientibus, qui ipso Diabolo crudeliores facti, nolebant desistere à suo nequissimo proposito, cum iam Diabolus suam sententiam mutasset, & Christum de manibus Pilati liberare voluisset. Sedente enim Pilato pro Tribunali, misit ad eum vxor eius, ex instigatione Diaboli, mota dicens: Quid tibi, & iusto huic? Multum enim passa sum per visum hac nocte propter eum? Non immerito itaq; ille ipse, qui vidit Sathanam tanquam fulgur de coelo cadentem, appellauit Diabolum inimicum hominem, per hanc enim noui nominis impositionem declarauit, inimicum hominem esse peiorem ipso Diabolo. Et hinc illud ortum est, commune lamentum afflictorum hominum dicentium. Malem cum Diabolo, quam cū hoc impij'ssimo homine certare. Hic itaq; ex-

Mali homines peiores sunt Dæmonibus.

crabilis Princeps mundi, habet in toto mundo plurimos seminatores discordiarum, & executores iniuriarum, qui vocantur filij Belial, id est absque iugo, per quos ille concitat rixas, iurgia mouet, discordias suadet, tumultus & bella miscet, & pacem publicam turbat, & mutuam charitatē quæ ex Deo est, è medio tollit. Quapropter & ille ipse, & omnes complices illius, debent omnino per bonos & iustos Iudices eijci foras, ex omnibus ciuitatibus, Prouincijs, & Regnis, vt hic impietatis author non habeat vbi ponat pedem, quandoquidem iam semel eiectus est de mundo, per vniuersalem iudicem mundi. Ne autem postea redeat, obuiandum est illi iustitia, & iure atq; diligentissima legum custodia & executione. Sed & tu qui per veram contritionem, & synceram confessionem eiecisti Principem mundi, ex tuo minori mundo, omni cura & vigilantia contende, ne amplius ad te reuertatur. Ecce enim iuxta ipsius supremi Iudicis denuntiationem, ambulat per loca arida, quærens requiem, quam non inueniens ait. Reuertar in Domum meam, vnde exiui. Et assumptis septem spiritibus nequioribus se, ingressi habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

Lucæ II.

Hunc

Hunc autē perniciosissimū regressum hic solus Iudex potest prohibere, qui exemplo supremi Iudicis eleuatus est à terra. Sedit enim Iudici pro Tribunali, nulla habenda est ratio terrenæ cognationis, nullus habendus est respectus Patris & matris, fratrum, sororum, consanguineorum, cognatorum, amicorum, benefactorum. Quia omnes isti sunt terra, de qua illi exeundum est, exemplo Patris omnium credentium, ad quem Deus dicit. Egredere de terra tua, & de cognatione tua. Quod si vultis videre Iudicem à terra eleuatum, nō grauabor deducere ante oculos vestros, illum primum Regem Iudæorum, qui vocabatur Saul. Hic enim cum edictum fecisses in Castris suis, ne aliquis gustaret quidquam ante partam victoriam, & cognouisset ex oraculo Diuino, quod in Castris esset præuaricator, statim illum omni cura & studio quærere cepit, & postquam filium suum Ionatham diuina sorte ostensum reperit, statim semetipsum à terra sic eleuauit, quòd clarissima voce mortis sententiam, contra illum promulgauit dicens. Hæc mihi faciat, & hæc addat Dominus, qua morte morieris Ionatha.

Sed & ille satis alte fuit à terra eleuatus, de quo scribit Thomas Episcopus Cantipratanus. Erat

Iudex eleuatus est à terra.

Genesis

Thomas Cātipratanus.

quidam Iudex, qui irremissibili sententia capit-
 tis adulteria, in sua ditione puniebat, qui cum le-
 cto mortali decubisset, filius ipsius licentiam pec-
 candi, ex Patris infirmitate arripiens, adulterium
 perpetravit. Quo audito Pater iussit delegatis su-
 is Iudicium contra filium suum instituere, & con-
 uictum capitis poena punire. Cum autem illi ex
 conniuentia dissimularent, atque different, imò
 etiam pro filio intercessionem suam ad eum interpo-
 nerent, iussit filium ad se vocare. Cumque pro-
 prius quasi Patrem deprecaturus ad lectum ipsius
 accessisset, statim pugione à Patre perfolus, in bre-
 ui diem ultimam clausit. Dum verò instaret Patri
 terminus vitæ, iussit Sacerdotem aduocare, ut
 possit peccatorum suorum confessionem faceret,
 & sacrosanctum Viaticum accipere. Cum autem
 nullam filij occisi mentionem faceret, & Propter
 hoc illi Sacerdos Eucharistiam denegaret, petijt ut
 eam sibi saltem demonstraret. Quo annuente, &
 pixidem aperiente statim sacratissima hostia euo-
 lando, usque ad os Iudicis illius peruolauit, &
 eum desideratissimo Viatico recreauit.

Hoc tamen exemplum, non licet alijs Patri-
 bus imitari, qui non sunt absoluti Iudices alicuius
 Reipub: prout ille fuit. Aliud enim est Ius pater-

nitatis

nitatis, aliud autem iudiciariæ potestatis.

Non fuit à terra eleuatus Heli Sacerdos, Iudex Hæbreorum, qui, sciens Filios suos impie agere coram Domino, tamen conuiuebat illis, & idè grauissimum Iudicium pertulit, non solum in illis, sed etiam in semetipso. Debet itaque omnis Iudex eleuatus esse à terra, & ab omnibus terrenis respectibus. Quod etiam antiqui Sapientes innuebant, qui iusticiam velatis oculis pingebant, denotantes, quod Iustus Iudex nullum debet habere respectum personarum, neque debet intueri, si magnus vel paruus astat coram illo, si fortis vel imbecillis, si diues vel pauper, sed tantum causas illorum intueatur, & iuste iudicet reddendo unicuique quod suum est: cuius rei satis euidens documentum, extat in Cyropedia Xenophontis, in cuius Schola Ribaldus quidam staturæ proceræ habens paruam tunicam, detraxit minori tunicam magnam, quam ille habebat, & suam paruam illi dedit. Cum que paruus ille cucurrisset ad Iudicem, qui eodie ex suo ordine causis Scholaribus præfuerat, & illum magnum, in Ius ad eum vocasset, decreuit ille nouus Iudex quadam æquitatis specie adductus, vt magnus magna veste, vi erepta gauderet, minor autem, veste minore, ad staturam

suam competente fieret contentus, sed minore ad ipsum Xenophontem appellante, aliud decretum est formatum, & plagis in nuda cute illius iniusti Iudicis in hunc sensum exaratum. Vnusquisque quod suum est, semper in tuo iudicio possideat.

Et o vtinam his iniquissimis temporibus, aliquis Xenophon exurgat, qui cassatis iniustissimis decretis doceat fauorabiles Iudices iuste iudicare, & vnicuique, quod suum est, reddere. Sed dubito quod puerili virga possit illos corrigere, fortè enim necesse esset grauibus baculis, vel acutis gladijs, in illos animaduere, non enim tunicas scholarium iniustè iudicant, sed magnas possessiones minoribus violenter ereptas, maioribus decernunt. Non sunt iam modo illi iustissimi Areopagitæ Athenienses, qui non, nisi nocte Iudicia sua exercebant, & simplici denuntiatione, sine omnibus affectibus, & passionibus causas proponere præcipiebant, & sine omnibus respectibus, magnum & paruum iustissimè iudicabant. Hæc autem eleuatio à terra, non debet intelligi, quod pertineat ad excellentiam honoris, sed magis ad maximam impositionem grauisissimi laboris. Si enim supremus Iudex eleuatus est in crucem afflictissimam, proculdubio etiam Iudex particularis debet eleuari in cru-

Areopagitæ.

Iustus Iudex.

31.

cem laboriosissimam, vnde etiam iuramenta sua faciunt ante imaginem Crucifixi, & in Iudicijs suis habent, & tenentur semper habere imaginē Crucifixi. Insuper & omne iuramētum, quod finem imponit omnibus controuersijs, excipiunt ante imaginem Crucifixi, non aliam ob causam, nisi vt ex assidua Crucifixi repræsentatione inueniantur illi addictissimi sua imitatione. Quia solus Crucifixus noster est suprenus Iudex, viuorum & mortuorum, cui omne Iudicium Pater dedit in manus, & ideo per illum solum Regem regnant, & legum conditores iusta decernunt. Quapropter sic illi debent adhærere, vt possint absque omni simulatione, eorum Leunculorum aureorum Throno Salomonis immobiliter adhærentium, figuram in seipsis implere. Ac in primis debent esse Leunculi, audacia & fortitudine, Leonina præditi, vt impleatur in illis Propheticum illud. Leo rugiet quis non timebit, aut quis non pauebit ad occursum eius? Quapropter & tu noli quærere fieri Iudex, si non valeas virtute interrumpere vita.

Leunculi.

Debent quoque esse Aureis, id est, ex omnibus alijs hominibus præcipui, sicut aurum est ex omnibus metallis præcipuum. Qui ergo non est aureus, non est bonus Iudex, facilè enim potest fieri aua-

Aurei.

rus,

rus, quandoquidem hæc verba facillè possunt commutari, per vnus literæ transpositionem, quæ significat quamlibet minimam munerum receptionem mentem Iudicis facillimè immutantem, & peruertentem. Absit ergo vt inueniatur aliquis Iudex auarus, qui omnino debet esse Aureus, & ab omni cupiditate sic alienus, vt nihil ad se admittat vel æris, vel argenti, vel auri alieni. Si enim aliquid admisserit, iam aurum eius versum est in scoriam, & iam factum est indignum, tam præclaro Throno Salomonis, in quo omnia facta fuerant ex auro purissimo, & fuluo nimis.

Sed fortè dicent aliqui ex Iudicibus. Quid ergo comedemus, aut quid bibemus? Nunquam equidem talem vocem debent emittere aurei Iudices, quia nunquam talem rugitum emittebant illi aurei Leunculi. Erant enim fusiles nullo cibo, nullo potu, nulla contentatione indigentes, & hoc ipsum denotantes, quod sicut in fusili nihil est vacuum, sic in Iudice nihil debet esse Auarum, sed sicut fusile semper est plenum, sic oportet Iudicem fieri sua personali sorte contentum. Non enim ideo Iudices sunt instituti, vt sibi ipsis nouas diuitias acquirant, sed vt alienas possessiones & facultates, ab omnibus iniurijs tueantur & defendant.

Quemad-

Fusiles.

Iustus Iudex.

33.

Quemadmodum autem Leunculi aurei, omnes quatuor pedes, in gradibus Throni fixos habebant, sic Iudices, & manus, & pedes Cruci Iesu Christi affixos debent habere, vt possint cum Beato Paulo dicere. Christo confixus sum Cruci. Ac imprimis debet dextera vniuscuiusq; Iudicis affigi Cruci Christi, per amorem bonorum etiam ex malis ad bonitatem conuersorum. Talis fuit dextera IESV CHRISTI, quæ non solum in vita semper fuit extenta, ad leprosos mundandos, ad mortuos resuscitandos, ad surdos, mutos, cæcos, & Paraliticos curandos, ad impios iustificandos, sed etiam in vltimo vitæ termino, sic fuit extenta ad latronem, ad dexteram suam pendentem, quod quamprimum corde contrito, veniam scelerum suorum petijt, statim omnia peccata illi dimisit, & oblitus conuictorum, quibus recenter ab eo fuit impetitus, hæredem paradisi illum constituit, dicens illi: AMEN DICO TIBI, HODIE mecum eris in Paradiso.

Sed & sinistra vniuscuiusq; Iudicis, debet firmissimè affigi Cruci CHRISTI, odio impiorum, quos sic debet persequi, vt sinistram suam, nunquam retrahat, a latrone incorrigibili puniendo. Ecce enim iustus Iudex, in ipso die copiosissimæ

Affixio dextera.

Affixio sinistra.

E

redem.

Christianus
Andricho-
mius.

redemptionis, & summæ propiciationis, impenitentem latronem condemnauit, atq; interminabilibus inferni pœnis adiudicauit, cuius rei extat etiam nunc horrendum testimonium, illa magna scisura in rupe Golgotana, sub Cruce sinistri latronis facta, quæ tanta est, vt humani corporis crassitiem facillè capere possit, profunditas verò tanta, quod ab huius rei curiosis demissa bolide nequaquam potuerit inuestigari, vt verisimile sit eam vsq; in infernum patere. Et quemadmodum latroni dextro via per CHRISTI mortem ad cælum referata est, ita per huius petræ scisuram latroni sinistro, (vt olim rebeli Chore) viam in infernum apertam esse. De hac scisura scribit Eusebius, quod Lucianus Antiochenus Præsbyter, vir moribus; continentia, & eruditione præcipuus, ad Tribunal Iudicis adductus, coram præside & populo insigni oratione Christianæ Religionis rationem reddens, etiam hanc scisuram nominauit. Semper itaque sit extenta Sinistra Iudicis, contra impios; æmulandos sinistram Supremi Iudicis, vsq; ad mortem, odio impium, & impietatem prosequentis.

Affixio pedum.

Ne autem ab hoc Tribunali iustissimi Iudicis audeant pedes Iudicum dimoueri, & hi quoque sunt fir-

sunt firmissimè affigendi. Hic autem Iudex pedem suum dextrum affixit Crucis Christi, qui solet perseverare ad debili temporis determinationem quoadvisque omnium controuersiarum, faciet determinationem. Illi enim detrahunt dextrum pedem à Cruce Christi, qui ante præfixum tempus relinquunt Iudicia, vel propter sua negotia domestica, vel ne intersint aliquibus intricatis, & magnis actionibus Potentum, à quibus dum timent odium, vel periculum, vel aliquod damnum, apertè monstrant, quod pedi suo conuiuent.

Quod si dextrum pedem non licet à Cruce Christi, & arcta via salutis amouere. Quid putas, utrum liceat sinistrum abstrahere, & mittere in viam latam perditionis? Nequaquam certè, verumtamen hoc faciunt hi, qui tempora Iudiciorum cõuertunt in luxum conuiuiorum, qui dum causis pauperum & afflictorum deberent intendere, solent commestationes sectari, & ebrietates miscere, quibus grauati fere semidormientes, solent causas afflictorum audire, & vix semiuigilantes decreta formare.

Cùm autem Supremus Iudex etiam latus suum apertum habeat, & ex illo sanguinem, & aquam fundat, hoc ipsum Iudicibus particularibus necessarium esse indicat.

Affixio sinistri pedis.

Apertio Lateris.

Hic autem latus apertum habet, qui viscera misericordię & charitatis, omnibus ad se venientibus demonstrat, fundens ex illis, & sanguinem vindictę contra malos, & aquam refectiois ad refocillandos afflictos, vtrumque enim hoc munus charitatis est. Quamuis enim læteretur Iudex vindictam videns, & manus suas lauet in sanguine peccatoris, tamèn hoc facere debet, non ex crudelitate, quę nullum locum debet habere in ipso, sed ex mera charitate, qua debent abundare viscera eius, vt quamuis sit inimicus causę, sit tamen amicus personę. Ex eodem quoque latere, debet profluere aqua consolationis & refectiois, hominibus afflictis, & amaritudine iniuriarum repletis.

Cùm autem sciamus illos Aureos Leunculos, etiam caudas habuisse affixas Throno Salomonis, facile conijcere possumus, quod his caudis suis nihil aliud innuunt Iudicibus, nisi vt nunquam à se remoueant memoriam mortis, & extremi finis sui, in quo iustissimus Iudex horrende, & cito apparēs, durissimo Iudicio contēdet cum ipsis dicens: Ecce Ego paraui in Iudicio thronum meū, vt videam vestrā æquitatem. Ecce iam ponam in pōdere Iudicium, & Iusticiam in mensura. Quare cum essetis ministri mei, non recte iudicastis? & quare non cu-

stodistis legem Iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis? Sit igitur pars vestra cum illis inueteratis dierum malorum, qui innocentem Suzannam iniquissimè iudicauerunt, sit pars vestra cum illis peruersissimis Iudicibus, qui me ipsum iniustissimè condemnauerunt, & inter iniquos ad crucifigendum deputauerunt, & iam nunc recedite à me, operarij iniquitatis, qui debuistis fieri custodes Iustitiæ, & executores æquitatis.

Quod autem reliquum est, necesse est, vt Iustus Iudex sic eleuatus à terra, & iam affixus Cruci Christi, **OMNIA TRAHAM AD SEMETIPSUM.** Quod tunc fiet, quando omnia statuta, omnes Constitutiones committiorum, omnes libros legum, omnia decreta maiorum ante oculos habebit, & iuxta illa Iudicia sua exercebit.

Magis autem tunc ad se trahet omnia, quando pœnas, quas malis infligit, ad semetipsum trahet, reputans in animo suo, quòd ille pro suis grauioribus peccatis, dignus sit maioribus pœnis coram Deo, qui nullum malum vult impunitum fieri. Quapropter, debet contra semetipsum Iudicium Secretum instituere, & debet seipsum acerrimum vitiorum suorum instigatorem, & Iudicem, & executorem præbere, si vult pœnas æternas euadere.

Omnia traham ad meipsum.

Trahet etiam omnia ad seipsum Iustus Iudex, dum honoribus, dignitatibus, & retributionibus, quas ipse aliorum virtutibus decernit, seipsum incitabit, ad acquirendos illos æternos honores, & obtinendas ineffabiles cælestes dignitates, atque diuinas retributiones, quibus nimis honorati sunt amici Dei, qui pro Iusticia agonizabant usque ad mortem, ut possent placere Iudici vniuersorum, qui cum acceperit tempus, etiam Iusticias iudicabit æquissima lance Iudicij, & probatissimo pondere Sanctuarij cælestis. Tunc enim Statera Sanctæ Crucis apparebit in cælo, quæ amicos Crucis Christi, & imitatores Crucifixi ineffabili consolatione replebit, & usque ad æternam beatitudinem suo dextro brachio sublimabit. Omnes autem inimicos Crucis Christi in enarrabili terrore concutiet, & sinistro brachio suo, deprimet usque ad inferos, ad æternam & nunquam terminabilem damnationem.

Caveat ergo vnusquisque Iudex, ne latum quidem vnguem, à Cruce Iesu Christi discedat, ne forte in illo extremo examine appensus in statera, inueniatur minus habens. Minus autem habebit, si aliqua dictio vel Sillaba vel Litera, ex supradicta Sententia Saluatoris, illi defuerit. Minus habebit, si NVNC non habebit, hoc est, si debita diligen-

tia in

tia in exequendis Iudicijs suis carebit.

Minus habebit, si **IUDICIUM** habebit, & **MUNDI** non habebit, id est, si non considerabit quod Iudicium exercet de minore mundo, de quo rationem reddet in conspectu Supremi Iudicis, idque coram toto mundo.

Minus habebit, si laqueis Iusticiæ tantum laqueabit muscas, & culices, dimittet autem bruchos & crabrones. Minus habebit, si censura ipsius vexabit columbas, & dabit veniam coruis. Minus habebit, si fur paruus Crucem sceleris feret, magnus autem purpuram, & diadema obtinebit. Hic enim directe peccat, contra principale thema iudiciorum suorum, quod nullum aliud est, nisi vt Princeps huius mundi eijciatur foras.

Minus etiam habebit, si non fuerit eleuatus à terra, parcens carni & sanguini, parcens amicis & cognatis, atque etiam his, à quibus beneficia accepit, vel expectat.

Minus habebit, si hæc omnia, quæ in alios exercebat, ad seipsum trahere negligebat. Qui autem minus habentes inuenti fuerint, proculdubio quod facies illorum commutabuntur, & cogitationes eorum conturbabunt eos, & compages renūcorum soluetur, & genua ipsorum ad inuicem colli-

dentur,

dentur, quia tunc decreta illorum cassabuntur, quia subselia illorum euerterentur, & illi ipsi seuerissimo decreto, intollerabilibus pœnis in æternum deputabuntur. Qui autem satis habentes, inuenti fuerint, hi iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & transferrentur inter Thronos cœlestes, in quibus sedet Dominus, qui iudicat æquitatem, quàm libentissimè videt vultus eius. Quem nobis omnibus benignum & placabilem, dignetur ostendere hic speciosissimus forma, qui cum DEO Patre, & Spiritu Sancto, viuit, & regnat, in sæcula sæculorum.


AMEN.

F I N I S.



8418

3



ii, 789

8418
3

7100

